

## D. BVVDEI PRAEFATIO.

fatemur, et ambabus, quod aiunt, largimur manibus, tanto quemque, si cetera adsint, quae ad scripturae interpretationem requiruntur, ad hoc esse aptiorem, quanto rectius ratione sua uti, et artes, quae rationis opera excoluntur, ut criticam, grammaticam, rhetoricam, ceterasque, adplicare didicerit. At, rationem normam ac principium interpretandi scripturam esse, hoc est, quod abnuimus. Quod ut multis demonstramus argumentis, necesse non est, cum quilibet, qui modo, quid ratio sit, intelligit, hoc facile perspicere queat. Constat namque, et alibi iam observatum est, *rationis* nomine vel ipsum hominis intellectum, seu facultatem res, quae nobis offeruntur, cognoscendi, diiudicandique, deque iis ratiocinandi, venire, vel principia quaedam, seu propositiones claras et evidentes, de quibus nemini mortalium dubitare fas est. Priori modo si ratio capiatur, eam, praesertim, si in hominibus sibi relictis, nec dum diuini spiritus gratia illuminatis, spectetur, ad res diuinas ac spirituales percipiendas ac diiudicandas, longe esse ineptissimam, ex experientia, et luculentissimis scripturae sacrae testimoniis, constat. Hominem ψυχικὸν non percipere, quae sunt spiritus Dei, nec ea cognoscere posse, diserte testatur Paulus *1. Cor. II, 14.* vbi et addit: τὰ πνευματικὰ πνευματικῶς esse diiudicanda. Immo, τὸ φρόνημα τῆς σαρκός, quicquid homo sibi relictus cogitat, quantumuis ipsi egregium et longe praestantissimum esse videatur, inimicitiam Dei esse, adeoque spiritus sancti iudicio prorsus repugnare docet, *Rom. VIII, 5.* Quod si in homine regenito ratio spectetur, ex tenebris equidem densissimis in lucem diuinam emergit, ut, cum antea fuerit σκότος, mera caligo, nunc fiat φῶς, *lumen* in Domino, *Eph. V, 8.* Limites tamen a natura, aut potius Deo ipso illi constitutos, non egreditur: plurimaque tum in naturae, tum in gratiae regno remanent, quae peruestigare aut comprehendere nequit, adeo quidem, ut tanto quis merito sapientior censeatur, quanto modestius de intellectu sui viribus sentit, quantoque plura utrobique esse agnoscit, quae modum captumque rationis quam longissime superant. Cuiusmodi cum plurima in scriptura sacra occurrant, quae *mysteriorum* nomine veniunt, quae *ue caro et sanguis*, hoc est, ratio reuelare nequit, sed tantum pater coelestis, *Matth. XVI, 17.* nemo non videt, rationem hoc modo acceptam, principium interpretandi scripturam esse non posse. Fieri enim prorsus nequit, ut num vera, an falsa sint, ratio diiudicet, quae supra eius captum posita sunt, ut ne quidem ea percipiat. Aequae ac oculus, quae plane non videt, num atra, an alba sint, discernere nequit. Atque hinc, quid de principiis rationis, quae itidem interdum rationis nomine veniunt, pronuntiandum sit, sua sponte liquet. Ea eim ut ex ideis claris et evidentibus exurgunt, ita ad res saltem, quae nostra cognitione assequimur, adplicari possunt. Suis itaque et illa circumscribenda sunt limitibus, quos aperte migrant, qui ad ea, ceu normam ac cynosuram, exigere conantur, quae illorum ambitu nullatenus continentur. Vnde recte quidem colligitur, quae naturalium rerum sphaera comprehenduntur, ita se habere, ut ceu vera consistere nequeant, quae principiis veris repugnant; at quae supra hancce sphaeram constituta sunt, si quis ad eandem normam exigere vellet, nihil aliud ageret, quam ut inscitiam suam ignorantiamque maximam, in diuinis pariter ac humanis rebus, proderet. Atque hoc est, quod alias dici solet, eorum, quae scriptura sacra tradit, nihil esse contra rationem, plurima vero supra eandem, eo quod limites principiorum rationis excedunt, ad quae adeo, ceu ad normam atque regulam, exigi quoque nequeunt. Idque insuper de veris ac genuinis rationis principiis intelligo: de spuris enim, seu quae homines sibi ipsis fingunt, et ad tegenda aut excusanda quaeuis vitia auide arripiunt, nemo dubitabit, ea in scripturae interpretatione locum non inuenire, etsi nihil frequentius sit, ut quotidiana testatur experientia.

Haec cum nostra, immo ecclesiae nostrae, de rationis usu in scripturae sacrae interpretatione, sit sententia, mirari aliquis posset, esse quenquam, qui Socinianis pariter ac Lutheranis,